

nes capere potui, cum sol pallide luceret & nubibus obduceretur. Die 8 Augusti ante meridiem 20 Altitudines Solis observavi, post meridiem vero paucissimas, easque propter nubes admodum incertas, capere licuit.

Post Eclipsin Die 9 Augusti ante meridiem, post horam sextam, 10 Altitudines Solis observavi, & alias decem post horam 10. Post meridiem ante horam 2 tres tantum altitudines obtinui, antemeridianis æquales, maxime tamen incertas propter nubes; Inter Horam 5 vero & 6, viginti quatuor Altitudines capere potui. Die 10 Aug. ante meridiem 13 Altitudines Solis cepi, post meridiem vero nubes mihi Altitudines æquales plane negabant. Die 12 Augusti ante meridiem 29 Altitudines Solis observavi, cœlo aliquando impuro, aliquando sereno, & post meridiem 31 Altitudines.

Has altitudines dimensus sum per quadrantem portatilem, cujus radius est 1 & dimid. ped. circiter, methodo Hedræi divisum, nudis pinnicidiis instructum; in quo Solis imago per parvum foramen superioris dioptræ cadens, in inferioris dioptræ lamella depingitur; exceptis altitudinibus quibusdam, Die 8 Aug. observatis per alium quadrantem, qui dioptris telescopicis instructus est.

Meliores quidem judicantur altitudines per dioptra telescopica observatæ, præsertim in hoc negotio; sed fuerunt rationes, quare potius per quadrantem jam indicatum observaverim Solis Altitudines, quarum præcipua fere fuit facilitas tractandi instrumentum, ne alias jam proferam; interim ex sequentibus patebit, correctionem temporis satis accurate ex iis observationibus institui potuisse.

D

Cor-